

QVÆSTIO MEDICA;
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS V. FEBRVARII,
M. RENATO MOREAV DOCTORE MEDICO MODERATORE.

680.

Licétne Medico nouare morbos & mutare?



ARTIVM prima & princeps Medicina corporis humani solatia quærit soli magis quàm cæli vsa beneficiis, quid agant sydera, quid inter astra lucens minetur Cometes nullo habens discrimine, omni hora è sinu terræ depromit, quæ profutura sint vitæ hominum prorogandæ alimenta & medicamenta. Æmula naturæ & victrix eius motus & agitationes obseruat vniuersas, quas vel promouet cùm lentæ, vel castigat cùm noxiæ, vel imitatur cùm salutares existunt. Erumpentibus ægrè variolis purpureisque febrium pestilentium ecthymatis non phœnigmo auróve diaphoretico, non oleo calcanthino aut philosophico lapide ad vanitatem ficto, sed phlebotomiâ auxiliatur etiam critico die. Vrinæ ob adnatã vesicę collo ὑπο-σάρκωσιν, grandiorémq; calculum diu suppressæ viam parat in perineo, & nasciturìs ἀτρήτων mulierum fœtibus exitum amplificato pudendi oscillo, nunquam secto, nisi matre extincta, abdomine.



OCCVLTAS & insuetas naturæ ἐφόδους soluendis morbis quis deprehendat? non è cęlo Astrologus, non Magus è circulo, non è signaturis Chymista. Latas & salutares ἐκκρίσεις vnus nouit & imitatur Medicus rationis ductu & experientiæ. Quibus artibus se probat homini natura parentem, iisdem illi probat se Medicus seruatorem & Deum. Exundantem in venis sanguinem κατ' ἶξιν natura profundit? eundem hic effundit κατ' εὐθυωρίαν sectis arteriis & venis etiam iugularibus. Illa succos καταῤῥόπους aluo, ἀναῤῥόπους vomitu excludit? hic biliosam cacochymiam æstate emetico vulgari non hermetico, hyeme serosam, pituitosam & melancholicam cathartico, cuius vis destillatione perit, eliminat. Quid si perperàm nonnihil illa moliatur? imitari non decet, sed dirigere, iuuare, tamdiu licet Medico æmulum esse naturæ quamdiu mater illa est, non nouerca.



ENIMVERO morbos natura profligat πέψει, λύσει, ἀποστάσει, μεταπτώσει. Lienosos & scorbuticos vrinarum euacuatio solatur, Nephriticos hæmorrhoidum fluxus interdum compescendus. Optima phlegmonarũ solutio, διαφόρησις. Abscessu ad crura vel genua potiùs quàm ad aures facto tusses conquiescunt. Μεταπτώσει vel nouæ in morbis mutationes oboriuntur, vel alterius generis morbi sublatis succedunt prioribus. Lentarum febrium sanatio, febris exacerbatio est, dolorem dolor soluit, vomitus vomitum, lassitudinem lassitudo: tremorem, stuporem & paresin assiduarum febrium, tertianarum & colicorum cruciatuum ἔκγονα noua febris nonnũquam dirimit. Maniæ mulieribus magis quàm viris familiares, hęmorrhagiæ, epilepsiæ amuletorum ludibrium, & arthritides vernæ corpus expurgant & morborum fibras penitus euellunt. Inueteratos morbos quod sint nouis & recẽtibus δυσθεραπεύτεροι nouat natura & recentes facit: dum curationem id quod est non recipit potest recipere id quod futurum est.



MVTATIONVM plena in corpore omnia; frequentes vt elementorum sic humorũ inter se μεταβολαὶ, crebrę vicissitudines, alternis regnant sanitas & morbus, nihil medium. Sanitas cõmutatur per gradus, morbi per species, qui per μετάστασιν oriuntur, nulli ad salutẽ; qui per διαδοχὴν ad exitium nulli. Modũ quęris? vna partium syntimoria, vna sympathia. ex arterijs & venis in neruos, & ex neruis vicissim in arterias & venas crebra & facilis noxiorũ humorum transfusio. Quis nescit conuulsionem accedente quartana sanari? rigores febrem exoluunt, melancholiam varices, qui aperiri tutò possunt, non exscindi. Exoptanda in morbis παλιμβόλοις permutatio; conuersa in ecstasin aut hydropem insania discutitur. omnis ἑτεροπάθεια instituto naturæ salutaris, cuiusmodi est sternutatio singultui, lienteriæ ὀξυρεγμίη caloris interdum soboles, leucophlegmatiæ & asciti alui profluuium. διαδοχὴ in morbos mitiores & partes ignobiliores facta σωτήριος.

ERGONE etiam Medicus nouabit morbos & mutabit? quidni? cùm intentatum nihil sinat quo prodesse ægris possit etiam deploratis. Apage tamen characteres, sigilla, verba, susurros, homerica & magica præsidia, quale est magneticum vnguentum. Antiqua & fistulosa vlcera cùm occalluerunt, ad curationem nouanda καθαιρετικοῖς, ferro, igne: quæ syderata sunt, vulneranda, rescindenda: intermissi vomitus restituendi vel commutandi. Suffocationi ab anginâ occurrit laryngotomiâ; suppuratis renibus & pulmonum hydropi inductâ fistulâ. inflicta tibiis vulnera ascitem leuant, ophthalmię & tabi à catarrho magis prosunt pyrotica & phœnigmi quàm Nicotiana. Quosdam capitis dolores discutit terebra potiùs quàm inustum ad concursum futurarum pyroticum. Quid si febrem Medicus accendat? temerarium quidem, sed vtile plerisque auxilium, cùm μύσιν καὶ σπάσιν, vehementiores ad hypochondrium dolores, voluulum λαπαρὸν, apoplexiam, grauedinem & raucedinem citra recidiuę metum exterminet.

Ergo licet Medico nouare morbos & mutare. 127

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS SEGVYN Parisinus, Anno R.S.H. M.DC.XXVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. DIONYSIVS LE SOVBS.
M. BARTHOLOMÆVS BARRALIS.
M. CAROLVS LE CLERC.
M. IOANNES BOVRGEOIS.
M. MAVRITIVS DE MONSTROEIL.
M. GVILLELMVS GYON.
M. CLAVDIVS GERVAIS.
M. FRANCISCVS GVENAVT.
M. IOANNES MERLET.